

colunt? de eius etia
cedo p picius: ut a
annua solentate la
martyr: tu a
Eus qui nos
ficus. Sicut ut palm
Stephani pape et
quos prophedo lo
participatione reco
quoru memoriam
quibus omnipotet
pianus. p. **Alia cor**
gerim? certa redem
nosse: ut quod pia
mine questum do
precioso sanguinis
Complendo. **O** r
Retatio de apst
fidum crecat 2 ga
tractamus: quibus
martyru honore de
Q omnia domine m
nos semp 2 mima
O blati tibi sacrifici

de apostolis. Colleta.
In unctio. **per totum** k yrieleto.
Ad vincula sancti petri offic.
Ista desideria compleantur. p.
hery 2 vicia nostra purgent: 2
hant domine operatione my
Desunt in meralia. **Lob. Per**
com. rior die dona cocillet. p.
tatis ad soluat: 2 tue nobis mite
rimus: 2 vincula nostre prau
rum naturalia recedentes offe
domine quam sanctorum tuo
deur. **Sect. N** ossa hec quam
persequitur. **De** Abrahahis
descendens ielus. **Mal. Lum**
Zilleua. x. Sicut aut. **Evangel.**
fol. dm. 2 ad. Solioius deus.
Epla. 2 gatus agere debem?
habebis habere. **Per** domini
ad omnibus merentur aduer
tuoru intercedentib? meritis:
veniam peccator: 2 ut sanctoru
comitib: da famillis tuis tuoru
venendi copiosam mun? **Gre**



Capitulum
D. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

Capitulum
D. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

D. 9.

D. 9.

Deus qui scitis tuos abdon **Evangelium**



41



M. THOMÆ SAGITTARIII
P. L. Caf. & Græcæ Linguæ
Prof. publici

ORATIO
BONI MILITIS ET
STVDIOSI *ἀντιμαχίου*
continens

Et
IN PVBLICO CONSESSV
AVGVSTISSIMO & FREQVENTIS.
SIMO AVDITORIO.
IN FRONTISPICIO PROFESSIONIS
DE MORE ACADEMIÆ,

Anni clb. Ibc. v.
XXIV. Iul. hora IX. recitata

JENÆ,
TYPIS IOHANNIS KVEIDNERI,
Anno 1606.



102

10. a.

11.



U U U U U U U U U U U U U U U U U U
U U U U U U U U U U U U U U U U U U

INGENVIS & STRENVIS
PHILIPPO JACOBO & JOANNI CHRISTIANO
MERCLINIS

CHRISTI MV SARVM q; militibus,
Commensalibus meis S.

Militandum est hac in Mundi palestra & pugnandum.

— — — — — *Nec longè scilicet hostes*

Querendi nobis, circumstant undiq;

I Mò verò ipsis insident fibris, & quicquid bonum invident
& inhihent. Imperator verè suorum impugnator est &
Rex ex lex, qui hostem prospiciens adventantem, portas
aperit, mediàque aulà, scorpionem gremio, excipit: Æque
mens illa amens est, quæ agmen illud Furiarum suis imminens
pomœriis non tantum non oppugnat & expugnat, sed &
vitiis & delitiis irritat & invitat. Non hæc mens vestra est,
MERCLINI, non est. Militatis & pugnatis CHRISTO
& MV SIS strenuè. Illum verendo & reverendo: Has
colendo & volvendo. Sic ò sic fratres patris vestri premitte
vestigia, ut in hac vestra militia conscientiam bonam retinea-
tis, & gloriam acquiratis: In æterna illa ! ò verè beatissima !
non ex lauro non ex auro, sed verè ἀφθαρτον & immarcescibi-
lem coronam reportetis.

Non decertanti non est speranda corona.

Sed — Ferunt hæc bella triumphos.

At — Non tangunt otia palmam

Nec statuunt ignava trophæum.

Valete IENÆ, 28. Novemb. Anno 1606.

V.

M. Thomas Sagittarius.



ΣΚΙΑΓΡΑΦΙΑ
ET ADVMBRATIO

TOTIVS DE MILITE ET

Studioſo Orationis.

CONSTAT HÆC ORA-
TIO EXORDIO, PROPOSITIONE,
CONFIRMATIONE, CON-
CLVSIONE.

DE EXORDIO.



EXORDIVM EST A PERSONA DI-
CENTIS ET AVDITORVM ductum.

Constatq;

I. *ἔτασθ* & MAIORE seu potius
ANTECEDENTE ſyllogiſmi connexi.

Cui adjecta *ἀλλολογία*, huiusq; declaratio.

II. ASSVMPTIONE seu ADVERSATIVA,
qua illa, qua metum incutere poterant ab Adjuncto per-
ſonarum diſſimili removentur.

Cui addita Amplificatio à ſimili

III. CONCLVSIONE.

(0) 2

DE

DE PROPOSITIONE.

PROPOSITIO est: Dicam de vulgari illo dictorio:

Studiosus militat omnis

Vbi I. *Causa impulsiva*

II. *VOTVM ad DEVM.*

DE CONFIRMATIONE.

CONFIRMATIO seu ipsa *ἀσφαλεία* desumitur

I AB OBIECTO

Et quidem I. *BONI MILITIS*, ubi *ἀρετῆς* istius
instituentis ἀσφαλείας

Illud v. *OBIECTVM* sunt *HOSTES*.

Vbi I. *AN HOSTES* habeat. Quod probatur *RATI-*
ONE ex *Belli NATVRA ET FINE.*

2. *AVTORITATE* I. ex *figmento Pœtico*, ubi *πᾶδος*
ab indigno & querela de ignavia militum inseritur.

2. *EX XENOPHONTE.*

II. *QVALES*. Sunt illi *PEREGRINI & DOME-*
STICI. In bello civili. Quod externo esse funestius pro-
batur. *SIMILI & AVTORITATE CICERO-*
NI & BODINI.

III. *QVI AD ORIENDI* Nempe *FORTISSIMI*

Quod

*Quod probatur ab Adjuncto ingeniorum optimo-
rum, Cui adjecta. Amplificatio à simili*

I. *EXEMPLE AENEAE.*

II. *A Fine & utili. Vnde causæ belli suscipiendi hic
breviter inseruntur, & tum testimonio tum ex-
emplis probantur.*

*BONI STUDIOSI ubi proposita congruentia habetur
ἀπόδοσις.*

Et hujus objectum sunt HOSTES

Vbi I. AN HOSTES habeat

Probatur I. RATIONE ab adjuncto studiorum.

2. *AUTORITATE Philosophorum & Poëtarum.*

*Vbi itidem & ab indigno & querela de ignavia non-
nullorum inseritur.*

II. *QVALES. Sunt illi EXTERNI & INTERNI.*

EXTERNI: VOLUPTAS ET IGNAVIA

Cujus utriusq; descriptiones ampliores ab effectis adduntur.

INTERNI: INSCITIA & NE QVITIA.

INSCITIA: Describitur à subjecto, in quo haeret

Quod est intellectus.

ET EFFECTIS.

*NE QVITIA: Describitur à Subjecto, quod est vo-
luntas.*

Et Ab adjuncto hominis, qui proclivis ad vitia

III. *Qui ADORIENDI, Nempe FORTISSIMI.*

Quod probatur ab utili.

*Et amplificatur à contrario & inserta querela de
nonnullorum studiis præposteris.*

II. *AB EFFECTIS, ET ADIVNCTIS*
quandoq; conjunctim.

Et quidem I. BONI MILITIS Quæ notatis.

Hic I. PVGNAT

*PRO ECCLESIA. Hic ostenditur Quod hostes ha-
beat ab efficiente*

*Et quomodo illis resistatur. Nempe ORANDO &
laborando.*

*PRO REPUBLICA. Hic ostenditur QVOD HO-
STES habeat.*

*Et QVOD illis obsistendum sit. Quod probatur
Ab adjuncto: Necessario.*

2. Autoritate

*3. A contrario & dissimili exemplo jul. Caesaris & C.
Marij.*

II. *OBSEQVITVR DVCIBVS: Quod necessari-
um esse probatur*

1. A causis impulsivis & finalibus.

2. Exemplis aliquot.

*Et: STATIONEM OBSERVAT ORDINE ET
STRENVE*

Quod & ipsum necessarium esse probatur

1. A Causis impulsivis

2. Exemplo

Vbi

Vbi *QVERELA* de nostritemporis militum ignavia & timiditate inseritur.

II. *BONI STUDIOSI* Quae *ἁπόδοσις*.

Hic I. *PUGNAT*

PRO ECCLESIA. Hoc probatur à *Causa impulsiva* amplificata à *minori ad majus*

PRO REPUBLICA. Hoc probatur I. à *FINE* studiosi.

2. *ab utili & commodo*

3. à *Testimonio*.

4. à *simili Exemplo*.

Vbi *REFVTATIO* accusationis vulgi, qua studiosos nescio cuius mali accusant, breviter inseritur.

II. *OBTEMPERAT MAGISTRATVI*. Quod necessarium esse probatur

1. *Ab honesto seu causis impulsivis*

2. *Ab utili seu effecto*

3. *Ab inutili inobedientiae & poenis*.

Et: suis in studiis *PROGREDITVR ORDINE ET DILIGENTER*

ORDINE. Hic commendatur

1. *Ab effectis*

2. *Ab adjuncto seu consequente Honore*

DILIGENTER Et haec commendatur

1. *Ab effectis*

2. *Ab adjuncto necessario*

3. *A Testimonio seu figmento Poëtico*

4. *A simili exemplo:*

Et

Et quando adhibenda ostenditur. *Nempe Tum quando tedium & nausea obrepunt. Amplificatur*

1. A contrario exemplo

2. A simili exemplo

Vbi attextitur querela de quorundam etiam studiosorum ignavia & diffidentia

DE CONCLVSIONE.

CONCLVSIO constat

I. REVOCATIONE.

II. OFFICII & DILIGENTIAE *modesta promissione.*

III. VOTO ad DEVM directo
pro ECCLESIA

Ducibus Saxoniae

ACADEMIA.



M. THOM.

M. THOMAS SAGIT-
TARIUS P. L. CÆS. ET
GRÆCÆ LINGVÆ PROFESSOR

P. S.



VI ACADEMIAS CVM MAGNO illo cælo apposite conferrî & comparari posse dixerit, nihil falsi, meo quidem iudicio, dixerit. Etenim magnum illud Cœlum à primo motore (ut loquuntur Scholæ) vi movendi insitâ & inditâ, sustentatur, usq; adeò, ut si manum subtraheret ille, jam in Chaos antiquum sit collapsurum, & planè interiturum: Academiæ suos habent Principes, qui instar numinis cuiusdam Sphæram Academicam vitâ quasi quadam per omnia membra infusâ & diffusâ, ita torquent, moderantur & gubernant, ut si hi operam denegarent suam, jam vitam, & vigorem omnem illæ sint amissuræ & perdituræ. Cœlum suas habet stellas, & lumina, quæ suis in orbibus (si credimus Astronomis) tum gratis- simâ æquorâ, non illâ quidem Pythagoricâ, sed Platonicâ, mirificam colunt amicitiam, ut licet moveantur omnes, nulla tamen alterius abrumpat motum aut interrumpat: Tum radiis suis & influxu hunc terræ globum circumquaq; illuminant, illustrant, tenebrasq; omnes disjiciunt & discutunt.

A

Acade-

INTIMATIO.

Academiae suos habent Professores, qui sua in statione, tum mutuum inter se colentes favorem & concordiam, unanimum profitentes sensum & consensum, plures quidem corpore, sed unum sunt animis devinctissimis: Nempe

— Concordia nutrit amorem.

— Concordia pectora munit & unit.

Tum Studiosam juventutem velut Ecclesiae & Reipublicae jam jam futura fulcra, docendo & monendo, qui vis pro suo talento, fingunt resingunt, formant & informant, nebulasq; mentis, quae ex isto primo nostrorum parentum furto, imò sacrilegio, irrepservunt, imò irruerunt & irruperunt, ejiciunt & foras propellunt, deducuntq; ad

Edita doctrinae sapientum templa serena.

Vt tandem illorum scientia totus Mundus illuminari, & ad obediendum DEO & Magistratui, ejus ministris, vita subditorum informari possit, quod de Studiosorum ordine laudatissimo regie & egregie laudatissimus Imp. Fridericus ipse pronuntiat Authent. Habita. C. Ne filius pro patre. &c.

Quare cum & Illustrissimus & Celsissimus Princeps & Dominus. Dn. JOHANNES Dux Saxoniae, Landgravius Thuringiae, & Marchio Misniae, &c. Dominus noster clementissimus, hujus nostri Salani Motor & Promotor, imò Numen longè prestantissimum, & suo & tutorio nomine me huic caelo Academico inserere, & Graecae Linguae Professorem constituere clementissimè voluerit: Ne & mihi unice in id incumbendum esse, intelligitis omnes, ut & ego meâ hac, qua positus sum, in statione officio non desim; sed spartam hanc ἡ τὸ δουρατὶν ornem, Deoq; grata, juventuti utilia, eâ quâ debeo

I N T I M A T I O.

debeo *fideli sedulitate & sedulâ fidelitate dicam & faciam.*
Quo & nihil mihi haecenus fuit, nec imposterum futurum est,
quicquam prius, quicquam antiquius, quicquam gratius.

Tango aras mediosque ignes, & numina testor.

— aut mors aut vita decora

Quapropter cum & initia quodammodo splendida esse debeant
 & illustria juxta Pindarum: *Ἀρχομένους ἔργα πρὸς ὄπλον καὶ
 θέμεν τὴ λαογῆς*, ex laudatissima hujus nostrae Academia consue-
 tudine & more majorum Orationem, de themate nec à mea
 Professione, nec Studiosorum ordine alieno, nempe hoc:

Et CHRISTO & Musis Studiosus militat omnis,
conscripam, in qua, quantum horula unius tempus concesserit
συγκρατικῶς officia boni & militis & Studiosi, proponentur,
praemittam, illamq; οὐθὲν die Mercurii futuro, hora IX.
in Auditorio majori recitabo. Cui recitationi ut studiosi Ado-
lescentes frequenter intersint, omnes & singulos rogo maxi-
mè, meam erga quoscunq; benevolentiam quibusvis officiis,
quae à me proficisci possunt, quovis loco & tempore declaratu-
rus. Hoc peracto die Jovis sequenti hora IV. Praelectiones
meas (quod DEVS faustum esse jubeat) exordiar, & quidem
praemisso velut προομιῶν loco Tractatu quomodo & à quib.
Græca Lingua imprimis petenda sit, & depromenda, Ho-
meri Poëta consensu doctorum omnium principis, Βατραχομυ-
ομαχίας sumam explicandam, qua in explicatione quâ metho-
do usus sim, quidq; inde expectandum, quid discendum, pu-
blicè affixatum temporis συνόψιν ἢ σκιαγραφήν omnibus pate-
bit. Interim valete. P. P. Iena, 21. Jul. Anno 1605.

ORATIO DE MIL:

ORATIO DE MIL.

ET STUDIOSO.



I MIHI, MAGNIFICI DNN: Rectores, Viri Reverendi, Consultissimi, Excellentissimi, Clarissimi, Vosq; Iuvenes lectissimi, si mihi, inquam, vel coram Hannibale vel Mida quodam Ovidiano Verba facienda essent: Ne provinciam hanc, si vel ab ipso Apolline deferretur, defugerem, domi me continerem, latebras quererem. Neq; id sane immerito. Tantum enim abest ut meum hoc propositum, meum studium, meum laborem, suo sint approbaturi calculo, ut vel maxime sint improbaturi, imò irrisuri. Ille enim nescio quas pugnas somnians, nisi quis ipsis bellis interfuerit, de rebus bellicis vel tantillum bene differere posse neminem sibi persuaserit, & Philosophos ad umbras, ad pulpita, imò pulterem & jusculum omisis hisce imperatoriis ablegaverit, hoc occinens: Bella relinque viris, non illa scientia chartis convenit.

Hic verò & ipsius Apollinis cantum agresti & incondito Panos clamori facilimè prætulit, & contra omnium recte sentientium iudicia deriserit, sic nempe Auriculas asini Midas Rex habet. At frustra niti, neq; aliud, se defatigando, nisi odium, vel risum etiam querere extrema dementia est, ut loquar cum Salustio.

Verum enim vero nullos hic video Hannibales, nullos Midas: Sed vos P. C. qui me vestris q: humeris ad hunc locum

dedu-

In bello
Iugur-
thino.

ET STUDIOSO.

deduxistis, quorumq; dudum erga me cognita & perspecta humanitas, usq; adeo ut & balbutientem sublevaturi, collabentem sustentaturi, subsistentem ultro sitis admonituri. Et vos Iuvenes lectissimi, qui eâ, ut vix majore alium tot jam annos, quos vobiscum versor me hæcenus profecuti estis benivolentia, qua fretus huic, aliâ minus clementi, me committam Oceano, fluctus si qui emergent, vos sedabitis, si quæ tempestates suborientur, vos velut alter Neptunus Virgilianus opprimetis & componetis. Sicut ergo cum aliquando naufragium fecisset Aristippus, & jam ad terram appulsus in pulvere figuras Geometricas cerneret descriptas magnâ perfusus lætitiâ benè se habet exclamavit:

————— Hominum Vestigia cerno:

Sic ego si qui scopuli, si quæ Syrtes in hoc meo apparebunt Oceano continuo erectus hæc mecum:

————— Paternum

Agnosco vultum, & patriæ vestigia mentis,
Et vestrum humanum

Agnosco vultum, & lociæ vestigia mentis:

Quæ omnia non periculum nobis, sed præsidium denunciant: neq; solum ut quieto, sed etiam ut magno simus animo hortantur, neq; auxilium modo, verum etiam silentium, & in audiendo benevolentiam, in judicando *ἰσχυρίαν* pollicentur longè maximam.

Quapropter adeste vos animis P. C. & vos iuvenes, æquisimis, quæ habiturus sum verba bona cum venia audite. Fide sapientiæq; vestra fretus, ratione officij impositi impulsus,

ORATIO DE MIL:

moribus antiquis in hunc usq; diem frequentatis, qui tale quid ut in ingressu Professionis meae susciperem, adegerunt, admonitus, plus oneris jam sustuli, quam ferre me posse intelligo. Hoc onus si vos aliqua ex parte allevabitis, feram ut potero studio & industria: Sin à vobis (quod non spero) deserar, tamen animo non deficiam, sed id quod suscepi, quoad potero, perferam. Quod si perferre non potero, opprimi me onere officij malo quàm id quod mihi cum fide semel impositum est, aut propter perfidiam abjicere, aut propter infirmitatem animi deponere.

Atq; hoc quidem jure mihi letandum esse video, quod tale argumentum ad dicendum oblatum, quod nec à nostro ordine alienum, nec vestris auribus ingratum futurum spero, & ita comparatum esse scio, ut difficilius sit exitum quam initium invenire.

Sumam autem mihi explicandum vulgare illud dictorium:

————— Studiofus militat omnis.

Cujus occasione quae sint boni ET MILITIS ET STUDIOSI vera officia ὡς πρὸς ἐν συγκαίτοις sed tamen τὸ πρῶτον καὶ παχυλῶς ostendam, & ostendam. Tum ut si quae fortasse & à nobis erecta trophea, hostes fusi, victorie partae, grata recollectione, ut milites recreari possimus: Vel cum jam velut in nova militia vexillis & aciei praeficiamur, ipsi ceu legibus propositis & praefixis normam etiam & amussim quam quotidie intueamur, praefigamus nobis & praescribamus: Tum ut quae ferenda admoneamur, & ab iis, quae fugienda deterreamur.

Simpli

ET STUDIOSO.

— Simpliciter virtutis amore
vel saltem si non aliter

Venturæ formidine pænæ.

Tu ô magne DEVS

— animis illabere nostris.

Ut ergò totum hoc negocium à capite acterfam & in ipsa
questionis nostræ penetralia irrumpam, Omnis qui militat, ho-
stes habet suos, adversus quos expedire arma, suas vibrare
hastas, suos stringere gladios, imò omnia sua cogitata omnia
consilia dirigere debet & usurpare. Belli naturam
aspiciamus & finem, nec poterunt illa, quæ dicimus, si fortasse
jam sunt, amplius esse obscura. Belli natura ea est ut sem-
per dimicatio inter partes instituenda sit, usq; adeò, ut inter
amicos, qui jam sunt, nihil magis bellum existere possit, quam
inter turtures rixa, inter fratres unanimes pugna. Vnde
bellum gesturi olim cum sociis, amicitiam renuntiabant, quod
inquit SVETONIVS. Id quod etiamum nostris tempori-
bus observari unà cum experientia docet Bodinus. Belli finis
is est, ut injuria jam inferenda depellatur, & nostris à cervi-
cibus dimoveatur, vel jam illata, constanti animo vindice,
tur, & usq; ad sanguinem, qui nocere, debellentur, paxq;
tandem constituatur & stabiliatur. At hæc omnia adver-
sarios sibi exposcunt & hostes, qui si denegentur, jam amica
omnia, jam sedata omnia, jam tuta omnia. Fingunt Poëta
quod cum Aeneas cum Latino rege fedus jam in iisset, & hospicij
jure dignatus nihil jam inimicum timeret amplius Alecto.

— Cui tristia bella,

Iraq;

In cali-
gula.

1. lib. 5.
Polit. n.
ult. 2.
618.

ORATIO DE MIL:

Virg. 7.
Aene.
p. 270.

Iræq; infidiæq; & crimina noxia cordi

A Iunone Trojanis Irata

———dirarum ab sede sororum

Sit evocata, ut compositam pacem disjiceret, armaretq;

——— unanimes in prælia fratres.

Ipsi verò Turno figeret

——— Lumine fumantes sub pectore tædas.

Herod.
lib. 7.
fol. 183.

Fabulae sunt hæc. Quis negat? Et tamen nec Turnum arma arrepturum, nec Aeneam suis à Vulcano transmisissimum usurum fuisse innuunt, nisi ira, hic verò vindicta impulsus, alter pro Laviniâ possidenda, alter pro consequenda bellum suscipere justum esse sibi existimassent. Nempe ira est illa Alecto, quæ Turnum in Aeneam concitat: Aemulatio est illa Alecto, quæ Pompeium in Casarem exacerbat: Fastus & superbia est illa Alecto, quæ Crasum contra Cyrum, Xerxem contra Græcos armat, & aciem producere impellit. Egregii ergò (si Displacet) illi sunt milites, qui cum hostes adoriri, vires illorum frangere, vel saltem debilitare deberent, vel post principia sibi cavent, vel si res benè cadat, in popinis, in tonstrinis, in æde Veneris linguâ hostem prosternunt, leonem barba tenent, felitintinnabulum appendunt, ipsi fossis, muris tecto & lecto tutissimi.

*Overè Phygiaë — sic ite per alta
Dindyma, ubi assuetis, biforem dat tibia cantum.
Tympana, vos buxusq; vocat Berecynthia matris.
Ideæ, finite arma viris.*

Sic

ET STUDIOSO.

Sic nempe Iri Homerici instar vos estis. Ille verò.

———Ventre insignis inertii
Afsidue bibere atq; edere, ast industria nulla
Nullaq; vis aderat.

Odyß.
18.

*Non sic Xenophon, sed & inter alia boni militis ἀρεσ-
κείμεια requirit ut sit ἐβελόπωνος seu Φιλόπωνος. Sine labore
enim & hic parum perficietur. Quem non tantum velle, sed
etiam digne suscipere possedebet. Vnde & idem Xenophon
militem suum esse vult ἐπισήμονα, ἢ ἑραβολικῶν.*

*Hostes verò illi sunt ET PEREGRINI & non rarò
etiam DOMESTICI. Vnde & bellum alias geminum effi-
citur, ita ut unum sit externum, quod cum peregrinis: Alterum
internum, quod cum ipsis civibus & inter cives suscipitur &
geritur. Inter quæ profecto civile longè est funestius. Sicut
enim cerva apud Virgilium:*

Quam procul incautum nemora inter Cresia fixit
Pastor agens telis

———Illa fugâ silvas saltusq; pererrat.

Dictæos. Sed omnino frustra.

Quia jam inslictum est vulnus, & ut canit Poëta

———Hæret lateri lethalis arundo

*Sic si jam ipsis Reip. visceribus malum hoc inhæreat, licet
vel maximè Cicero contra Catilinam & Cethegum vigilet,
suisq; se muniat cohortibus, tamen difficilimè hoc monstrum
fibris excutere & ejicere potest. Vnde rectè Cicero, eum Phil. 12.
nec Privatos focos, nec publicas leges, nec libertatis jura chara*

B

habere

O R A T I O D E M I L :

lib. 4.
Pol. 6.4
n. 421.

habere posse, quem discordia, quem caedes civium, quem bellum civile delectat, eumque ex numero hominum ejiciendum, ex finibus humanae naturae exterminandum putat. Nec male Bodinus: Civilia bella improborum aequè ac bonorum ruinam & exitium complecti asserit. Inter hosce qui fortiores invadit generosior praeter ceteris omnibus habetur rectissime. Est enim animi vel maxime generosi maxima quaeque (sed tamen quae non sint supra vires) arripere, dispellere, diffringere. Nempe instar Aquilae, quae (si Plinio credimus) & ipsum cervum adoritur, inque ejus cornua sese conficit, eademque vi magna diffringit.

Ardua deturbans mens animosa quatit.

lib. 3.
6. 15.

Aeneas mihi hic sit testis. Ille ut alias tanquam boni principis exemplar à Virgilio proponitur: Sic & hujus certissimum reliquit posteris argumentum. In solo enim Turno moratur, Turnum solum vestigat lustrans. Et v. invadit, non tantum ut injuriam ulciscatur, sed & vel maxime cavet, ut victoria potiatur, nec periculum aut damnum aliquod inde suis etiam laboribus sibi accersat. Unde belli suscipiendi causas non nisi gravissimas esse debere unanimi consensu docent & monent Politici. Hinc cum aliquando Diogenes in castra Philippi Regis Macedonum cum Graecis pugnaturi pervenisset, perductusque ad Philippum & rogatus: Num speculator esset? Stultitiae, inquit, & Vanitatis tuae verus sum speculator, qui cogente nullo, de vita & de regno ceu ad casum aleae periclitatus venis, quod refert Brissonius. Iustum enim illud demum est bellum, quibus necessarium, & pia arma, quibus nulla nisi in armis spes relinquitur

quod

ET STUDIOSO.

quod rectè Livius. Optimum sanè consilium Sandanis Lydi, lib. 9.
 quod si Cræsus secutus fuisset, non in rogo, demũ sed nimis sero, Deac. 1.
 vix à repentina pluvia servatus regno omni amisso sapere didi-
 cisset referente Herodoto. Lydus v. sic ad Cræsum: Adversus lib. 1.
 tales viros expeditionem paras Rex, qui coriacea subligacula, fol. 14.
 qui è corio reliquam vestem ferunt, qui non quibus volunt
 cibis vescuntur, sed quos habent, utpote regionem asperam
 incolentes. Ad hac potu non vini utuntur, sed aquæ, non ficos
 ad comedendum, nec aliud quicquã boni habentes, quibus cum
 nihil sit, quod eripies, si viceris, sin victus fueris, animad-
 verte quot bona amittes. Nec malè apud eundem Herodotum
 Pausanias cum post Persarum cladem in castris crateras aureas lib. 9.
 & argenteas & maximarum rerum aliarum optimarum co- fol. 258
 piam invenisset, indeq; cenam instrui mandasset convocatis
 Græcorum ducibus, sic ad illos: Viri Græci, inquit, hac ego de
 causa (vos) convocavi quod volebam vobis amentiam Medorũ
 ducis ostendere, qui cum talem vitam duceret, ad nos subigen-
 dos venit, qui tam misere victitamus. Aequè & Carolus Gal-
 liarum Rex, Philippi filius, cum levicula de causa, nempe
 quia Comes Romontius mercator cuidam Helvitio cum per
 ipsius ditionem iter faceret, ademerat currum onustum pelli-
 bus Ovium, bellum contra Helvetios suscepisset, ex quo nulla
 vel utilitas vel gloria sperari poterat, usq; adeò, ut nisi DE-
 VS illum destituisset, non fuisse credibile illum pro re tam exi-
 gua bellum suscepturum, quod scribit Philippus Cominaeus, ad-
 modum infauste pugnavit, sibi cladem, aliis cautius mercan-
 di & causas belli melius ponderandi relinquens exemplum.

B 2

Jam

lib. 7.
 de Reb.
 Gallicis
 p. 546.



ORATIO DE MIL:

Jam v. studiosum Musarum in castris stipendia merentem mihi vide, nonne & ille hostes habet suos? Habet utiq. Si enim libera esset & nullis cincta molestiis prudentia & divina illa Pallas: na nullo negotio à quovis etiam comparari, à quovis salutari, imò possideri posset. At quanto cum labore, quanto cum sudore ad culmen illud Prudentia & solida eruditionis perveniatur, id v. norunt illi, qui experti. Hoc est quod volebant Philosophi dum viam ad virtutem multis salubris obsitam & fermè inviam esse profitebantur quo de sic Virgilius:

In littera Pythagorica.

Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditum primum spectantibus offert.

In Mytholog.

Hoc est quod innuebant Poëta dum Parnassum qui Apollinis & Musarum mons est & velut palatium hinc & inde multis à monstris cingi, multis à Lemuribus & Harpyis obsideri fingebant, ut fufius Natalis Comes. Hoc est quod tacite docebat Virgilius dum Cerberum introducit suum, qui

————— Ingens latratu regna trifauci
Personat, adverso recubans immanis in antro
Et ad Elysios campos tendentes impedit, & longum propellit
nunquam, nisi

Melle saporata & medicatis frugibus offa
Objiciatur, hoc est diligentia summa adhibeatur, demolliendus & devincendus. Non magis ergò nisi hostibus hisce nos opponamus, nisi fortiter manus conseramus, nisi acriter & alacriter pugnemus, Eruditione aut prudentia potiri poterimus quam pomis vulpes que cauda arborem di verberans, &

infra

ET STUDIOSO.

infra fructus aspiciens, nihil ulterius laboris suscipere volebat. Egregij ergò (si DIS placet) studiosi sunt illi, qui in lecto decumbunt usq; dum Sol ad verticem hemispherij nostri perveniat, id quod circa meridiem fieri asserunt Astronomi: vel complicatis manibus ad fornacem sedent & poma assant, nuces spargunt, & columbas assatas expansis expectant, sed verè expectant, faucibus: vel deniq; alea, luxu, lusu, potando, cantillando, deambulando optimas perdunt horulas parum de suis istis hostibus solliciti, non secus ac si iam in ipso Parnassi quotidie dormiant vertice. Non sic ô Iuvenes, non sic. Hostes habemus numero plurimos, vi & robore fortissimos, audacia insignes, Huc, huc omnes.

Ferte citi flammæ, date tela, ascendite muros,
Imò Herôes pugnate viri, concurrite ad arma.
Hostes, ecce hostes adsunt.

ET v. hostes, qui studiosos urgent, tangunt, angunt, & non rarò etiam frangunt, & planè dejiciunt, Tum EXTERNI sunt, tum INTERNI,

EXTERNI sunt maximè VOLVPTAS & IGNAVIA, à qua utrâq; studiosus sibi, si sapit, maturè cavere debet. VOLVPTAS enim est illa blanda domina, quæ prima quidem fronte immane quantum ab blanditur, aspectu læta, effectu & affectu lethalis. Hæc est illud caput Gorgonis, quod objectum vel ostensum saltem, homines in lapides, hoc est, in pessimos in indoctos, in insanos convertit. Hæc est illa Siren, quæ dulce quidem canens nautas ad se allicit, allectos immanissimè dilaniat & devorat, nisi Vlyses quispiam sit & auribus cerâ obturatis, quo minus cantu capiatur, prætervehatur. Hæc est

ORATIO DE MIL:

illa Cathena, quæ Prometheus, hoc est, optimos quosq; per vim etiam (nisi caveant probè) Caucaſo alligat, hoc est, ad vitia, ad errores, ad quævis etiam præcipitia defert & præcipitat. Breviter. Hæc Pandora est illa Pœtica, quæ ut foris grata appareret omnes DI (si credere fas est) vel potius omnes Diaboli. (Ab hisce enim malum omne non à quodam fato stoico aut Parcarum decreto.)

1. oper.
& dier.

Δῶρον ἐδώρησεν, τῆμι' ἀνδράσιν ἀλφειῆσιν. Ut de sua narrat Hesiod. Quo tanto facilius Epimetheo, hoc est, homini insulso & minus rei suæ studioso imponere possit & fucum facere. Quam enim hæc à vera virtutis & honesti semita deducat, imò seducat, quam vires enervet, quam ad solum pastum ut pecora,

fol. 99.

animum hominis abjiciat dici non potest. Refert Plutarchus in Hannibale quod in Capua urbe amanâ & omni voluptatum genere abundante miles brevi ex strenuo ignavus, ex forti timidus, ex solerti iners mollisq; evascribit, usq; adeo Capuanæ delitiæ magis quam alpis juga, quam armati Romani Pœnis obfuerunt. Vna enim hyems segniter molliterq; acta tantum valuit ad extinguendum vigorem animorum ut milites principio veris in campum progressi omnis virtutis bellicæ oblitividerentur. Quod cum non nesciret Cræsus Cyro Sardis de-

In Clio
lib. 1.
fol. 13.

leturo ut est apud Herodotum hoc dat consilij: Interdices, inquit, illis ne arma bellica possideant, jubebisq; ut supra tunnicam pallium gestent, induere cothurnos. Ad hæc iisdem cytharam cantusq; indulgebis, deniq; cauponari, liberos instituere & mox comperies viros in mulieres degenerasse. Retissimè ergò Socrates apud Stobaum: Δεῖ (inquit) ὡστρεῖ

σερῆνας

ET STUDIO SO.

σειρήνας τὰς ὑδονὰς παρελθεῖν τὸν σπείδοντα τὴν ἀρετὴν ἰδεῖν ὡσπερ πατρίδα. Nec male Epictetus Philosophus breve quidem hoc sed nervosum admodum dicterium semper circumferebat: ἀπέχεσθαι καὶ ἀπέχεσθαι. Sustine seil. labores. Abstine nimirum à voluptate & luxu.

IGNAVIA & illa quantum rebus gerendis & studiis humanioribus obstet vel me tacente omnes intelligitis. Quid n. Ecclesiam desertam & quasi sepultam lupis istis immane in oves Christi grassantibus dilaniandam reliquit, cultum divinum prostituit, fidem abnegavit? Reliquit, prostituit, abnegavit ignavia. Quid Remp. alias florentissimam labefecit, privilegia corrupit, vitam fortunamq. dejecit? labefecit, corrupit, dejecit ignavia. Quid Scholas pervertit, juventutem depravavit, bonos mores extirpavit? Pervertit, depravavit extirpavit ignavia. Quid Studiosos ad algam & vappam ablegavit, ad militiam, turpem sepe & infamem, amandavit, ad remos, imò restim ex alto honoris gradu exturbavit? ablegavit, amandavit, exturbavit ignavia. Ignavia est illa remora, quam Piscatores narrant, etiam incitatas naves suo in cursu retardare, & planè impedire. Ignavia est illa lyra Mercurii, quæ & ipsum Argum, licet centoculum, tamen consopire, & omnes oculos veterno opprimere potest facillimè. Ignavia est ille Somni ramus Virgilianus quo ille:

Lætheo rore madente

Vique soporata stygiâ super utraque quassans

Tempora:

Soporem altum inducit, & Palinurum aliàs suo officio strenuè

fungen -

ORATIO DE MIL:

fungentem, gubernaculo excutit & fluctibus hujus mundi immergit. Vnde rectè Seneca, quoties villam Servilii Vacie, qui odio negotiorum privatim se continebat domi, prateriret, toties digito illam ostendens, addebat: Ecce hìc situs est Vacie, certo statuens nihil esse discriminis inter mortuum & inter ignavum. Nec male Homerus admodum pròlixè laudat Vlysssem, & hoc factum ceteris omnibus præfert quod Thersitem ad concilium Regum irreptantem & irruentem scepro percutiens, vi inde ejecerit, existimans ignavis istis & ignaris Dromonibus nullum cum viris principibus, cum bonis, cum probatis esse commercium. Paucis. *Φεύγων μολον, ἀλφια Φεύγει.* Et hi hostes vel maxime externi, utpote qui vitari facilius quam alii possunt. INTERNI sunt INSCITIA & NEQVITIA, INSCITIA in intellectu hæret nostro, & imperio ita est potita, ut omnem primitus insitam & inditam sapientiam ejecerit, & vix pusillas quasdam flammulas velut in carbone igniculos reliquerit. Vbi quæso nunc est illa à Deo inspirata omnium rerum, quæ in Adamo erat, cognitio? Vbi non picta, non ficta, non dicta, sed infusa, sed insculpta, sed infixæ primorum parentum scientia? Abijt, excessit, evasit, erupit. Hoc est quod conqueritur Philosophus oculos nostros ad Naturæ Lumen *ὡσπερ τὰ τῶν νοητικῶν πρὸς τὸ Φεῦχος ὀμματα* cecutire. Hoc est quod perpetuo ridet Heraclitus, flet econtra perpetuo Democritus, suog, in puteo veritatem quarit indefessus. Hoc est quod Scaliger miras esse nostri intellectus angustias disertè affirmat, imò rerum cognoscendarū velut Ciconiam Aesopicam vas, lingere nos pulsem hoc est,

inter-

1. Meth.

ET STUDIOSO.

internam essentiam nos attingere. Et alibi nos omnes vix homines, sed partes potius hominis esse astruit. Ex omnibus enim aliquid fieri posse, idq; non magnum, ex singulis penè minus quam nihil.

Exerc.

148.

sect. 4.

NE QVITIA in nostra voluntate tentorium fixit suum. Quotquot enim nascimur, homines nascimur, hoc est, gloria caremus illa, quam coram DEO habere debebamus omnes. Omnia nostra immunda sunt, depravata sunt, deformata sunt, & si quæ bona (quamvis vel paucula vel potius nulla) extorta sunt, & distorta. Causam difficulter expedierint Philosophi, facile Theologi. Hominis naturam vide, ingressus & processus explora, totam deniq; vitam excute, & invenies ne ab ipsa Sybilla ex tripode Apollinis unquam prolata esse veriora. Sed heu veriora quam vellemus. Hic enim vixdum conceptus est homo, ad vitia proclivis est: vixdum natus vitiis scateret & malitiâ: vixdum ab uberibus separatus vitiis gaudet: vixdum educatus vitia cogitat, vitia versat, vitia somniat, usq; adeo, ut si ullum ab hominibus nomen accipere potest seculum, à primo inde usq; mundi exordio seculum vitiosum extiterit & usq; ad extremum Mundi fatum duraturum sit. Nullum hic aureum, nullum argenteum, nullum aneum, nullum ferreum, vitiosum est & furiis plenum: universum omne. Hic in foribus stabulant vitia, in nostris adibus deambulant vitia, in nostris visceribus inhaerent vitia, pernoctant nobiscum, rusticantur nobiscum, epulantur nobiscum usq; adeo ut exclamare possis: Hospites sunt hi hostes.

Hic si fama movet si tantum pedore robur
Concipis hic.

C

Aude

ORATIO DE MIL:

Aude atq; adversos fidens fer pectus in hostes
Si vinces, eris mihi magnus Achilles. Imò

— Eris mihi magnus Apollo.

Apollo enim mihi est, qui verè doctus est, qui hostes hosce suos è finibus propulsavit, eiecit, exturbavit. Et quidem tantò major, quo fortius, quo alacrius fortissimos oppugnarit, & impugnarit, imò & expugnarit. Stolidi enim est hominis non studiosi circa minima quæq; & abjectissima desiderare, & illa inquirere, quæ si ignorentur, parum obsunt, si sciantur, parum profunt. Optima quæq; arripienda sunt, & àula inscitia intrudenda ut illa tandem solum vertere & suo è Palatio discedere cogatur. Quo nomine vel imprimis dolendum & graviter ferendum quod multi in statione hac militari sed tamen Parnasiaca collocati quasi cum ranis aut muribus Homericis res esset, muscas captant, Elephantes dimittunt, imò cum gallo Aesopico hordeum exposcunt, unionem abjiciunt, & ob Parni scaphulam disceptant. Dicam clarius, si possum, Futilia pro utilibus, jucunda pro honestis arripiunt, quasi hisce vel Trojam ipsam expugnaturi sint, cum tamen si res probe inspiciantur, hisce potius hostes augeant suos & confirment. Nescire enim & falsa & inutilia scire pari passu ambulant. Sic ergò (quod existimo) verum esse comprobatum est.

Et Christo & Musis studiosus militat omnis.

Et quo cum certet mens pia semper haber.

Sed pergo ad alia, quæ brevibus tamen expedientur. Tubarum enim clangor, militum clamor, Praconis vox & me aliorum rapit. Sed quorsum vos milites? Quorsum?

Quo

E T S T V D I O S O .

Quoruitis? quæve ista repens discordia surgit?

O cohibete iras.

Imò

Non cohibete iras sed potius vos ite egregie anima.

— — — — — Quæ sanguine nobis

Hanc patriam paritis, quæ pro aris & focis dimicatis, quæ pro Rege, pro lege, pro grege decertatis.

Ite.

— — — — — Sicitur ad astra.

Militiam vos sequimini: Bello interestis alij, præestis alij. At bellum justum esse oportet. Iustum v. ratione Tum inferentis, Si is nempe legitimam inferendi habeat potestatem. Vnde simpliciter injustum illud esse quod sine imperatoris autoritate indicitur, statuit Borcholt. Tum obedientis. Si is necesse habeat obtemperare & vocem Ducis sequi, Tum illius, contra quem geritur. Si nempe & is meruerit. Tum deniq; illius propter quod geritur. Geritur autem & geri debet omnino omne ut injuria nostris à focis, nostris à cervicibus arceatur & propellatur, pax v. acquiratur quod citat ex Augustino C. Noli 23: q. 1. Pro Ecclesia ergò, pro Rep. pro focis nostris pugnam aduent milites, & si ita sors ferat.

— — — — — Petunt pulchram per vulnera mortem.

Pro Ecclesia quidem. Quanto enim, quanto bone Deus, odio hanc insequitur Diabolus, & si licitum, velut oviculam dudum dilaniasset, & secum ad inferna tartara deduxisset. Hinc excitat Pharaones, excitat Iulianos, excitat Nerones, Caligulas Turcas, excitat Papas, Episcopos, Cardinales, & rasum Esavitarum genus omne. Hi etsi animis aliàs sunt diversis non

c. Iulianus 11.

q. 3.

7. Feudor 6-7.

n. 44. c.

Quid

culpa-

tur 23.

1. c. ult.

23. q. 2.



O R A T I O D E M I L:

secus ac vulpes Samsonis: Tamen effectu & intentione (ut loquimur in Scholis) ut illa caudis, colligati sunt & connexi, & modo clanculum, & q: pro cuniculos, modo aperte Ecclesiam orthodoxam Catholicam super Christo unico fundamento fundatam & super instructam petunt & impetunt, templa DEI immortalis ad exitium & vastitatem vocant.

Hisce monstris & O R A N D O & L A B O R A N D O resistendum est. O R A N D O: Imprimis in ipso Ecclesia gremio, in domibus nostris, in viis nostris. Laborando: In acie, in bello toto furis ipsorum & rabiei arma opponendo, conatus nefarios infringendo, audaciam effrenem retundendo.

P R O R E P U B L I C A v. & focis. Vndiq; enim non secus ac ex equo Trojano ad diripienda cujusq; bona, ad perturbandam & evertendam non: Troja unius, sed totius generis humani pacem & concordiam, prodeunt Vlysses, nec desunt Sinoes, qui hunc non solum apparant & adjuvant, sed & portas aperiunt; hostesq; intra muros ipsos recipiunt. Quid ergo faciendum?

*Num patriam amissa Dominis parere superbis
Cogemur, qui nunc lenti consedimus arvis?*

E T

Hæc tam culta novalia milès habebit?

Durum profecto hoc & minus Christianum.

Quare ipsa negotiorum conditio, & usus humanus sic exigit, ut arma corripiantur, propugnacula constituantur, tranquillitas publica omnibus viribus asseratur & custodiatur, Anchises cum suis Penatibus & parvo Iulo ab Aenea

defen-

ET STUDIO SO.

defendatur. Hinc Reip. defensionem ex duobus, Armis nempe & legibus dependere asserit. Imp. S. Imperatoriam in praem. Instit.) Malè ergò Iulius Caesar Metello ob sistenti ne pecunias ab arario tolleret, ac leges id vetantes proferenti: Non, inquit, idem legum & armorum tempus est. Quasi verò leges bello opprimenda sint potius quam tuenda. Malè C. Marius qui cum in bello contra Cimbro, qui se strenuos viros gesserant contra jus fasq. Romanis honore equasset, & ob id culparetur respondebat: Ego ob armorum strepitum vocem legum audire non poteram. Quasi v. bellum planè exlex sit, & non potius à legibus, pro quibus pugnat, regi possit & debeat. Sed sic sive in castris degentes, sive in acie consistentes & ἰσχυροὶ ἀρχῶν & φίλο κύνδουοι μὲν ἰσχυροὶ esse debent ut requirit Xenophon. Hoc est. Ducibus suis obsequantur, & stationem semel attributam ORDINE & STRENVE observent.

DVCIBVS quidem obsequi debent. Tum ut juramento, quo se obstrinxerunt, satis faciant: Tum ne occasionem rei gerendae idoneam negligant, quam attendere exacte quantum pro fit Imperatori dici vix potest. Nec enim malè Contaus ad Carolum referente Cominao: Si velis, inquit, victoria potiri, opus est, ut acceleres, quod si maturius fecisses, jam videres debellatum hostem, quicquid intercedit temporis hoc omne victoriam moratur. Nec potest forsitan causa esse obscura. Vix enim in bello bis peccatur, ut vulgare habet proverbium, sed si semel quae admissa aut amissa raro vel potius nunquam resarciuntur. At quid ibi facias ubi si quid

d. l. 2.
παισ
as
Cyri.

lib. 6.
de Reb.
Gall.
p. 313.

l. 3. 6. 8.

ORATIO DE MIL:

l. 3. c. 8. recte moneas, nemo tamen obtemperat. Hannibal ut est autor Valerius, cum apud Regem Prusiam exularet, autorq; ei committendi praelij esset, atq; is non idem sibi ex extis inspectis portendi affirmaret. An tu, inquit Hannibal, vitulina caruncula quam imperatori veteri mavis credere? Recte improbum ratus à tam commoda occasione levicula de causa desistere, nec imperatoris vocem potius audire. Vnde in illos qui jussu Imperatoris sui detrectarunt, omnibus temporibus graviter animadversum esse testantur Historia. Papius Dictator, cum contra Imperium ejus Q. Fabius Rutilianus equitum Magister exercitum in aciem eduxisset, licet fuis Samnitibus incastraredisset: Tamen Dictator neq; virtute ejus neq; successu motus est, sed virgas expediri jussit, eumq; nudari & sic virgis cedi, cumq; tandem universus populus pro eo intercederet, vix dum respondit: Non pœnam illam Fabio, sed Popul. Rom: concedo potestati, ut legimus apud Val. max.

l. 2. c. 2.

Quin imò ne ipsis filiis contra mandatum imperatorium pugnantibus ipsi parentes pepercere. Posthumius Tiburtus Aulum Posthumium filium: Quia non suo jussu, sed sua sponte prasidio progressus hostes fuderat, victorem securi feriri jussit. Manlius Torquatus filium, quod provocatus à Geminio Metio duce Tusculanorum ad dimidicandum se inscio descenderat, licet gloriosam victoriam & speciosa spolia referentem, abripi à lictore, & in modum hostia mactari jussit, satius esse judicans patrem forti filio, quam patriam militari disciplina carere, ut breviter quidem sed non leviter

d. loco.

subjungit

ET STUDIOSO.

Subjungit Valerius. Quae ipsa tamen severitas etsi vinculum est disciplinae militaris: Tamen fines egredi non oportet ut graviter monet Bodinus.

l. 3. pol.
cap. 5.
n. fin.

ORDINE verò & strenuè sua in statione progredi quandoq; etiam consistere debent milites. Tum, ne hosti aciem irrumperere & perturbare sit integrum. Hoc enim si fiat jam fermè actum est, iam vires protrita & prostrata. Quintus Metellus Romanus cum apud Contrebiam remgeret, & v. collocata à se in quadam statione quinque cohortes viribus hostium cessissent, repetere eandem stationem è vestigio iussit, non quod speraret ab iis locum amissum recuperari posse, sed ut praeterita pugna culpam insequentis certaminis manifesto periculo puniret. Quo nomine & edixit, ut si quis ex his fugiens castra petisset, pro hoste interficeretur (quod ait Valler.) Tum vel maximè ut junctis viribus tantò melius hosti resisti possit & obviam iri. Virtus enim unita semper fortior est dispersa ut loquuntur Physici. Unde illas gentes, quae sine ullo ordine, prout fert casus, in hostem irruunt magna saepe clade affectae sunt & ad unum omnes deletae. Ordine ergò si disponantur cohortes inq; his intrepide quilibet pro suo Marte non tergum sed frontem hosti obvertat, semperquè hoc suo in clypeo, imò animo insculptum habeat quod Pertinax tribuno symboli loco dari iussit, MILITEMVS. futurum facile ut exiguae manus ingentem militum copiam profligent & pessudent, & verè illud acclamari possit.

l. 2. c. 2.

Exigui numero, sed bello vivida virtus.

Fingunt

ORATIO DE MIL:

Fingunt Poëta Herculem licet Iuno varia monstra debellanda objiceret, angues ipsis cunis immitteret, Hydriam produceret, Cacum proponeret, & infinita alia pericula crearet: Animo tamen infracto fuisse & constanti, ut omnia non saltem raperet, tunderet, prosterneret, sed etiam semper animosior & audentior evaderet, usq; adeo, ut in imponendis laboribus se defessam factam esse consiteatur ipsa Iuno. Fingentum hoc est merum. Non negamus. Hoc ipso tamen ostendere voluerunt doctissimi Poëta militem, quem sub persona Herculis describunt, laboribus frangi, molestius opprimi non debere: sed animo intrepido & constanti semper contra niti.

————— Dum spiritus hoc regit artus.

Suaq; in statione prius animam super arma cum gloria fundere quam fugam cum infamia meditari & arripere. Nempe militis est agere & pati fortia quod M. Scævolam suam ob errorem in tyranno occidendo commissum adurens & conburens dixisse perhibetur.

Idq; tum imprimis quando maximè urget & exposcit periculum. Pessimi enim sit militis tum cum vel maxime Dux ope ejus indiget, aufugere & stationem relinquere, instar Phaëthontis, qui primo lora ut cunq; tenebat, & currum Solis dirigebat: Sed mox ad scorpionem delatus

Mentis inops gelidâ formidine lora remisit.

Sed heu quantum de Romana illa indole avitisq; virtutibus descivimus. Ita enim nunc ferè nostri in castris ignavi sunt ut novo quodam Scipione opus sit, qui in Hispaniam olim

à Roma

ET STUDIO SO.

à Romanis missus animos militum vitiis & delitiis fractos erexit & correxit, castra expurgavit, maximumq; inde institorum & lixarum numerum unà cum duobus scortorum milibus eiecit, ut est apud Valerium, ita si hostis à manibus & fossis absit longius, otio indulgent potationes frequentant, saltationes exercent, optimasq; occasiones praterlabi patiuntur, non raro turpissimè, adeò ut quis cum Clisthene ex Herodoto acclamari possit: Fili Tisandri desultasti matrimonium: In acie deniq; ita sunt fugaces, ut jures ipsum Mercurium pedibus illorum sua aptasse talaria, qua illum quidem.

d. l. 2.

cap. 2.

lib. 6.

fol. 180.

Sublimen alis sive æquora supra
Seu terram rapido pariter cum flamine portant.
Ut noster canit Virgilius. Sic nempe

4. AE.

neid.

licet eminus esse
Fortibus. Sed non sic
Non cursu sævis certandum est cominus armis.

Revocandi ergò illi cum Tarchonte Virgiliano qui nostris
hisce similimos & fæminam fugientes suos ita excipit:

Quæ tanta animis ignavia venit?
Foemina Palantes agit: atq; hæc agmina vertit?
Quo ferrum? Quidvè hæc geritis tela irrita dextris?
At non in venerem segnes, nocturna que bella,
Aut ubi curva choros indixit tibia Bacchi,
Expectare dapes, & plenæ pocula mensæ.

lib. 11.

p. 385.

Verum longius fortasse in his quam debuissim moratus
fuisse videri possem, nisi hoc ipsius rei amplitudo pestulasset.
Iam quam fieri poterit brevissimè quomodo & hæc studioso

D nostro

O R A T I O D E M I L :

nostro convenient omnia videbimus. Vix enim ovo tam simile est ovum, quam & in hisce studiosus militi. Quo enim fine, quo animo & hic militat? Num ut Ecclesiam noviter confictis vel nugis vel mendaciis vel haesibus involvat, labefactet, pervertat? Minimè gentium Num ut Remp. oppugnet, de civium omnium interitu, de urbis orbisq; terrarum exitio cogitet? & non solum ad negligendas leges & quaestiones, verum etiam ad evertendas veniat tanto instructior? Minimè gentium. Quo ergò? Non alio profecto, quam ut Ecclesiam pro viribus defendere, veram pietatem propagare, Deiq; gloriam contra Gigantes illos Aethnaeos constanti fide & fideli constantia asserere possit, & propugnare: Quam ut Rempubl. si salva consistat, protegere, si lapsa, ex cinere q; colligere, erigere, penatesq; patrios ab omni injuria vindicare sit paratissimus. En Ecclesia studiosorum commissa est gremio. Pessimum ergò si Ecclesia suis à tutoribus, suis à patronis impetatur & prematur. Scribit Livius patrem Regis Persei quovis die bis perlegisse conditiones pacis, quas cum Romanis iniisset, ne sc. oblitus fortasse illarum in fœdus impingeret & fidem (quod admodum grave) falleret. Quid nos, quid cogitabimus? Cum Deo ipso fœdus iniimus, nomina nostra professi sumus, inscripsimus: Et tamen conditiones fœderis non attendemus, sed extra castra in quibus habitat salus & requies animarum nostrarum, divagabimur, & vexilla nostra contra matrem Ecclesiam erigemus & dirigemus? Pudeat nos tædeat nos. Mundus est ille Labyrinthus ex quo non nisi virginis istius Pietatis filo salvi elabi & emergere possumus. At

vnde

lib. 33.
& 44.

ET STUDIOSO.

unde pietas? nisi in cœtu colentium Deum & verbum prædicatum audientium, Spiritus Sancti auxilio excitetur, augeatur, foveatur. En Republica studiosorum auxilium expectat & consilium, suorumque jure repetit. Nam à quibus expectabit, à quibus repetet justius? His enim vix melius præstare possunt ulli. Prudentia enim & sapientia velut ultimus scopus nostris in studiis proponuntur. Quæ si usum in Rep. habere deberent nullum, sed velut gladius in vaginâ reconditus circumferri: Ne stultissimi forent illi, qui tantis laboribus, tantis Vigiliis, etiam cum vitæ dispendio, ad illa tendunt & contendunt. Rectius certè de hisce nostris judicat imperator. Authent: Habita. C. Ne filius pro patre & c. ubi scientia studiosorum (seu ut loquitur) Scholarium totum illuminari mundum ait, & ad obediendum Deo, & sibi imperatori vitam subditorum informari. Quo quid in nostrum ordinem dici possit magis honorificum non video. C. Marius ex fabro ferrario tempore Gallieni à militibus Imp. Romanus fuit salutatus, sed non diuturnum ejus fuit imperium. Vna enim die factus est Imperator, altera visus est imperare, Tertia interemptus est à milite, & quidem eo, qui ejus quondam operarius in fabrilis officina fuerat, hoc addito: Hic est gladius quem ipse fecisti. Huic Mario per quam similes sunt illi, qui ex officina vitiorum & insipientie prodeunt ad Reip. gubernacula admoventur, ipsi dignissimi, qui prius ad Chironem deducantur, & quomodo suis præesse possint & debeant, informantur. Vnde fit ut horum imperium neq. faustum sit neq. diuturnum, ut usurpari possit illud quod jocatur Cicero in Vatinius Consulem: Eo consule magnum

ORATIO DE MIL:

Inoper.
succesi-
vi c. 22.

obtigisse ostentum. Nam nec brumam, nec ver, nec astatem
fuisse, quod allegat Camerarius. Audio sæpè & agre audio ab
hominibus rerum imperitis publicè contra nostrum ordinem
& vitam Academicam declamari, q. ab illis ut ab Helena bel-
li Trojani seditiois & tumultus causa oriatur, q. studiosi
sua in Academiis profundentes vacui & pauperes ad patriam
redeant suam, illamq. non tantum non juvent, sed & pessun-
dent. At bona verba quaeso, Zoile.

Parcius ista yiris tamen objicienda memento.

Parce v.

Paucorum diffundere crimen in omnes.

Dicam audacter, sed verè dicam: Si viri docti qui ex Aca-
demiis tanquam ex Parnasso prodire debent, è medio & mun-
do tollantur, jam è vestigio & humana adspexa imò totius
mundi splendor & decus corruet, succedetq. omnium rerum
in publicis funesta facies, in privatis miramacies,

Nulla salus rudibus, doctos vos polcimus omnes.

Docti enim regunt Ecclesiam, suaq. prudentia velut
tacito quodam influxu calum, omnia hæc humana moderan-
tur, & tempore tempora temperant.

Hoc opus, hic labor est doctorum.

1.5.c. 8. Aulus Fulvius (ut autor est Valerius) filium Catiline par-
tes secutum, inq. ejus castra temerario impetu ruentem, in me-
dio itinere deprehensum retraxit, & mortis supplicio affecit,
hæc subjiciens: Non se Catiline illum adversus patriam,
sed patriæ adversus Catilinam genuisse: Et ego studiosos
omnes & singulos non Iulianis contra Ecclesiam, non Catilinis

contra

ET STUDIO SO.

contra Remp. sed Ecclesie contra Iulianos, Reip. Contra Catilinas parentes genuisse statuo.

Hunc suum scopum ut attingant tantò felicius nostri, & hic imprimis requiretur, ut sint εὐπειθεῖς ἀρχῶσι & Φιλόπονοι, μετ' εὐλαζίας. Obtemperent magistratui & ordine & diligenter suis in studiis progrediantur.

MAGISTRATVS Academicus & ille, ut qui vis alius, à Deo est. Qui ergò huic resistit, & ipsi Deo resistit, tandemq; in penas incidit gravissimas. Nunquam n. scelestum. — Deteruit pede pœna claudo.

Quid multa? Magistratui subesse debemus, & ex RE NOSTRA est. Debemus, Iuramento n. nos astringimus, fidem dedimus, dextram porreximus. At iuramentum frangere, fidem fallere, dextram semel datam retrahere, nefarium est & quibusvis anticyris vel Giaris quam dignissimum. Ex RE NOSTRA est. Ad Scholas n. Academias mittimur & ablegamur ideò ut honestis imbuti moribus, justam induiti παιδείαν, Ecclesie Reip. nobis & nostris aliquando usui esse possimus. Sunt n. Schole officina illa, in qua mitescunt & mollescunt ingenia, non secus ac saxa Deucalionis, quæ projecta,

Ponere duritiem cepere, suumq; rigorem
Molliriq; mora, mollitaq; ducere formam.

An v. illi qui pro sua ἀκρισίᾳ καὶ μοχθηρίᾳ nullis se legibus tenere putant, nihil nisi coacti recte suscipiunt aut perficiunt, dignos aliquando in studiis progressus facere possint, & honores promereri ullos, non parum dubito.

ORATIO DE MIL:

In Clio
l. 1. f. 18.

In Crasum Regem jam captum, ignotum tamen, cum Perseus irrueret, jam jam illum occisurus, Crasi filius per totam vitam mutus, id aspiciens, magna voce exclamavit: Homo ne perimas Crasum sic refert Herod. Credo contra illos contumaces qui contra magistratum Academicum insurgunt, & lapides acclamabunt: Homines ne perimatis Crasum, hoc est, ne ledatis magistratum. Sanctus enim est ille & velut Terminus Ovidianus qui de se CEDO NVLLI. Tangere me noli. Quod si ergo Romani ne suis filiis, qui contra jussu pugnauerant, licet vicissent, pepercerunt: Quid facturos esse illos existimabimus si contra jussu nostros ne pugnantes quidem, sed repugnantes, imò impugnantes aspicerent.

ORDO in studiis omninò observari debet, & adhiberi, nec minus diligentia accedere debet & concomitari.

ORDINE M qui negligit, Ne ille tum in studiis aliquid profecerit, cum rubus uvas; tribulus hordeum, fucus mella produxerit. Non male — Veteres.

Ordine pervenies, quo non licet ire labore.

Lysander Lacedaemonius cum aliquando ad Cyrum Regem Persarum venisset Sardis, & Cyrus ei hortum diligentissime consitum ostenderet, Lysander verò vehementer admiraretur arbores, & directos in quincuncem ordines, Tum Cyrus: Atqui ego ista omnia sum dimensus, mei hi sunt ordines, mea descriptio, existimans se quid laude magna dignum profecisse & perfecisse: Verum si me studiosus suum in Musarum hortum deducat, ibidemq, ordine dispositas areas, ordine descriptos flores, ordine collocatas artes ostendat, memoriaq,

contineat

ET STUDIOSO.

contineat suâ: Ne Cyri illi horto hunc longe prætulerim, & cum tripudio acclamaverim, hoc cum

— Tellus erit usa, fruentur
Aethereæ sedes, cœlumq; erit exitus illi.

SINE DILIGENTIA v. & labore qui divinam Palladem prostare putat, & velut aurea poma in os inserere & injicere: Is restimemat, vel ad agnatos gentilesve abeat, quod olim furioso factitandū fuisse memorant Historia. Etenim non vivimus in illo aureo seculo, vel in campis Elysiis, vel in Utopia illa Platonica, ubi vel ipsæ columbae assatæ in os involant, apes mella sine nostro labore ingerunt: Nec in Parnasso illo bicipiti ulterius dormiunt nostri ut vel una horula Pœtæ prodire possint & Philosophi: Sed labore venduntur omnia, labore prostant omnia, labore comparantur omnia. Scribunt Pœtæ equi Bellerophontei ictu fontem Musarum erupisse & promanasse. Fabula sunt si τὸ πῦρ ὄν ἀσπiciamus, sed si ἀγνοίῃσιν inquiramus τῆς ἀγνοίας continent longè suavissimum. Laborem in studiis requiri sentiunt. Hic est ille ictus qui undulas in nostro intellectu per lapsum obrutas, oppressas, confusas elicit, facitq; ut sensim & sensim purgatis illis velut fons purissimus prosuat & promanet. Hic est illa Vulcani securis qua caput Iovis aperitur & divina illa Pallas proruit & prorumpit. Hic est illa offa, quæ Cerbero, hoc est, ignavia & nequitia objicitur, ut tandem ad campos Elysiis, ad Anchisen, hoc est ad verum bonum, ad principum mensam & latus, cum Aenea hoc est doctioribus pervenire possimus & pertingere. Achaorum Prætozem Philopemenem scribit Plutarchus

etiam

O R A T I O D E M I L :

etiam procul metu hostium remoto solum iter facientem, situs atq; formam locorum contemplari, aciemq; instruere imaginariam consuevisse, eoq; studio tantum effecisse ut inter Græcia duces præcipuos, locum non postremum obtineret: Hunc Prætozem omnes imitemur nos, & cum otiosi esse videmur, demus operam ut tum simus vel maximè occupati & intenti, neq; ullam præterire sinamus horulam, quæ studiis commoda, in qua lineam non ducamus.

Sic Christo & Musis studiosus milita totus.

Et verò hac diligentia tum vel maximè adhibenda & vel anea rotula, id quod de Aristotele Philosopho scriptis proditum est, excitanda & exuscitanda, cum tædium quoddam obrepere, & nausea ex studiorum prolixitate, ex temporum difficultate, ex promotionis denegatione, ex sumptuum copiâ, ex nostra v. inopia suboriri incipit, tunc animus firmandus, & confirmandus, ne in diversum abripiatur, ne devictus succumbat, & statione relicta ad diffidentia, non raro etiam imprudentia & impudentia castra abeat, Bervicus Comes Gallicus hunc habebat morem, referente Comineo, ut pedes non pugnaret, sed distributo exercitu, & rebus omnibus instructis, consuevit in equum ascendere, & si feliciter à suis rem geri conspiceret, ingerebat se medium. Sin minus, fugæ sese mandabat: Non sic noster in studiis miles: non sic, si forsân adversa incidant, si labores augeantur, si solem Deus aliquando tegat, & nusquam appareat, si illi etiam, qui vel maximè debebant, studia nostra fovere & promoveri, eadem quantum in ipsis est, impediunt, & supprimant, animus statim

abjicien-

lib. 4.
de Reb.
Gall. p.
441.

ET STUDIO.

abjiciendus est, libri pedibus conculcandi, & restis arripienda: Sed standum est in statione ab ortu usq; ad meridiem, à meridie usq; ad occasum. Standum est & expectandum. Nullus est occasus, qui ortum non promittat, non nubila, quæ Phæbum non polliceantur. Veniens veniet & non tardabit, sed velut ἀπὸ μυχῶν apparebit Deus, & labores nostros præmio recompensabit dignissimo. Marcus Valerius Romanus (ut est apud Livium) cum aliquando cum Gallo adversario monomachia dimicaret, & jam jam victus caderet, insperato in adversarij cassidem corvus involavit, eiq; insidens, ita hostis oculos vellicavit, & obscuravit, ut à Valerio præter spem omnem superaretur, ipsiq; Valerio ab Augusto Cesare statu in rei memoriam erigeretur: Similem imò longè meliorem fortunam experientur & milites Parnasiaci. Cum n. omnia submersa & eversa, omnia tristia & turbida videbuntur, veniet

— Tandem post nubila Phœbus.

Nec, si nunc, & olim

Sic erit: Sed

Grata superveniet quæ non sperabitur hora.

Interim animos non despondeamus nostros, sed in statione à DEO demandata,

— licet fremat Orbis & Orcus

Impavidi & intrepidi consistamus, hostesq; nostros adoriamur, profligemus, prosternamus. Sed eheu quam rari apparent & hoc in gurgite nantes, Imò

— Multus pugnator ubiq; est

E

Sed

ORATIO DE MIL:

— Sed Rarus denique victor.

*Per quam enim multi, Tum Rerum copia & labyrinthis ve-
lut tribulis sentibusq; impediti, in primordiis etiam ipsis ha-
rent, imò varietate illarum onerati desertores studiorum effi-
ciuntur, aut cum magno labore sepe etiam cum diffidentia (qua
plerunq; Iuvenes avertit) serius ad id perducuntur, ad quod
leviori via ducti, minore labore & sine ulla diffidentia matu-
rius perducipotuissent, ut de suis attestatur ipse Imp. Iustini-
anus. Tum molestiis & laboribus fracti velut ignavi mili-
tes imbribus & ventis succumbunt.*

is. Hic.
igr. 3.
instit.
l. 1. & l.

Et, — Si quando ad prælia ventum est

*Vt quondam in stipulis magnis sine viribus ignis
In cassum furit: Sic illi aureum vitulum somniantes à labore ad
libidinum & quosvis vitiorum scopulos dilabuntur.*

Sed revocandi illi cum Aenea, O Socij,

O passi graviora, dabit DEVS his quoq; finem

— Revocate animos mœstumq; timorem
Mittite, forsan & hæc olim meminisse juvabit
Vel ita excipiendum Turno, qui sic ad Latinum Regem:

— Cur ante tubam tremor occupat artus?

*Multa dies variusq; labor mutabilis ævi
Rettulit in melius, multos alterna revisens
Lusit, & in solido rursus fortuna locavit.*

*Sed vestra patientia ulterius mihi abutendum non
est. Quare contrahenda tandem sunt vela, vel potius
vexilla deponenda, milites sua ad castra dimittendi & remit-
tendi. Qui boni (Quales omnes esse nobis persuademus)*

illi

ET STUDIOSO.

illi suo quisq; pro viribus, satisfecerint officio, suâq; hac in militia ita militabunt, ut coronam aeternâ consequi possint & asportare. In hac militia Academica cum & me constitutum esse videatis, an strenui sit Ducis multa potius promittere, & de sua diligentia, æq; vixis, ut illi de victoria, gloriari, quam cum tempus & periculum exposcit, manus operi admoveere, & nunquam promissa animosè præstare, vix credo vestrum est quispiam qui ambigat. Malo ergò & ego præstare (Si possem) multa potius quam promittere. Hoc unicum dico: C. Mevius, Centurio Divi Augusti cum in bello contra Antonium sæpissimè excellentes pugnas edidisset, improvisis hostium insidiis circumventus, & ad Antonium Alexandriam perductus, tandemq; interrogatus, Quidnam de se statui deberet? Inguulari, me, inquit, jube. Quia non salutis beneficio nec mortis supplicio adduci possum, ut aut Caesaris miles esse desinam, aut tuus esse incipiam: AEquè ego mutatis pauculis sic statuo: Prius & potius hæc anima eripietur mihi, quam DEI in pietatis & virtutis: quam Principis nostri in observantia & devotionis: Quam patrum conscriptorum in concordia & Reverentia: Quam deniq; studiosorū in Fidei & Diligentia castris miles esse desinam. Quo de & imposteriorum linea ipsa testabuntur Apelleæ, vel potius spolia quæ hostibus erepta, non ut olim Iovi aut Marti, sed DEO, sed Principi, sed vobis P. C. sed vobis ô juvenes lectissimi hîc, DEO benè fortunante protrahentur, hîc ostendentur, hîc suspendentur.

Interim quod restat, tu, ô magne DEVS, quibus hunc orbem Christianum constituisti & firmasti: Quibus Ru-

tam

ORAT. DE MIL: ET STD.

*tam Saxoniam conseruisti & irrigasti: Quibus Spheram hanc
Academicam uelut suo centro affixisti & beasti auspiciis:
Iisdem & imposteriorum firma, defende: Irriga, protege: Bea,
dirige: hostesq; omnes à tuis aris, caterisq; templis ac tectis à
uita fortunisq; ciuium omnium arce, & omnes inimicos bo-
norum, latrones Germania, scelerum federe ac nefaria socie-
tate conjunctos, æternis supplicijs uiuos mortuosq; macta, ut
sub pacis uelut gratissimis Etesijs nostra hac in militia Parnassi-
aca, tuis in uerbo reuelatis mysterijs piè & sobriè credendo: Quæ
jubes, ore & opere constanter & sincerè profitendo: Tibi no-
bis nostrisq; dignè & cautè uiuendo ad finem usq; Iorica S.
Sancti induti, infracto clypeo consistamus & persistamus, tan-
demq; una cum Christo filio tuo, Imperatore nostro, beatisq;
calitibus triumphemus & tripudiemus, æternamq; uitam
ut stipendium, uel potius ut donum gratuitum
assequamur & consequamur.*

D I X I



Gb 777. I

800

ULB Halle 3
 001 618 563



Sb.

EX LIBRIS
 ILLUSTRISSIMI VIRI,
 DN. DAN. LVDOLPHI,
 LIB. BAR. de DANCKELMANN,
 S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
 STATVS INTIMI, cetera,
 BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
 TESTAMENTO RELICTIS.

VDT

104


In splendoribus singularis imo celestis hominis filia



nomis sub tanta vniuersalitate
solentur reuerentur de regione
guina. **H**odie cadet pulcherrima
filia populi sui & omni patris oblit
fama sancti spiritus micata sed igne
materiali consumata. **H**ierem cor dicit
ad fidem inclinaret sed iam int
purgando dertros amplexus v
dicitur respicere eius concupierat
in illa humanitas & filia audierat
quia celestis pater illa ut reuerret
in vocaretur **S**ancto igitur narcho
in predicante factum ad mensam pa
tris redire. **E**t cum illum cui male
adheret deseruit. **E**t que centum ca
dos olei dno suo redere debuit.
Accpta cautione sacramentorum
scribit sibi quinque & promeruit
esse illa **S**ic multi in retroactis era
ribus redire a suis errantibus. **S**ic ma
na magdalena sic mulier illa chana
neque per postquam negauerat
redire. **E**t paulus xpi voce perstrat
responit. **M**arthe a tunc dicitur ipse
pater redire pcomio. **E**t sicutu lico


Cus qui hunc di
nati verbum transt
cruas ad eum missa
is voce coniecta:
mus: ut dicitur pati
in eius meretur
tant formam: qui bec
romam fieri precepit
is dominus noster
Hic martyr **offi**
cceptauerunt. **L**olla.
illa tuam quoniam
supplicium p picius
que te impudice de
tary martyria ma
e locumque eius
saltequatur.
Donati martyr
Vna condicione





Farbkarte #13

B.I.G.



SAGITTARI
& Græcæ Linguae
f. publici
ATIO
ILITIS ET
O SI
tinens
Et
O CONSESSV
O & FREQVENTIS.
VDITORIO.
CIO PROFESSIONIS
ACADEMIÆ,
o. Ibc. v.
hora IX. recitata
N Æ,
NIS VVEIDNERI,
Valete IEN 1606.